

1994-09-14 – SS Ioannes Paulus II – Congregatio ‘Annus Internationalis Familiae’

CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI

**EPISTULA
AD CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPOS
DE RECEPTIONE
COMMUNIONIS EUCHARISTICAE
A FIDELIBUS QUI POST DIVORTIUM
NOVAS INIERUNT NUPTIAS**

Excellentia Reverendissima,

1. Annus Internationalis Familiae peculiaris momenti occasionem praebet, ut testificationes denuo retegantur caritatis curaeque Ecclesiae in familiam(1), et simul rursus proponantur inestimabiles divitiae matrimonii christiani, quod familiae fundamentum constituit.

2. In praesentibus rerum adiunctis specialem animi attentionem postulant difficultates et angores eorum fidelium, qui in abnormibus matrimonii condicionibus versantur(2). Pastores efficere debent, ut Christi caritas et proxima Ecclesiae maternitas animadvertantur; illos ergo cum amore excipiant atque hortentur ut in Dei misericordia fiduciam reponant, prudenterque et cum respectu eis sugerentes concreta itinera conversionis et participationis vitae in communitate ecclesiali(3).

3. Cum vero consciit sint veram comprehensionem germanamque misericordiam numquam seiungi a veritate(4), pastores officio obstringunt hos fideles commonendi de Ecclesiae doctrina quae ad sacramentorum celebrationem, peculiarique modo ad Eucharistiae receptionem attinet. Hac in re, postremis his in annis, in variis regionibus diversae solutiones pastorales propositae sunt, secundum quas fideles, qui post divortium novas nuptias inierunt, quamvis generali ratione profecto ad Communionem Eucharisticam admittendi non sunt, ad ipsam tamen accedere queunt quibusdam in casibus, cum scilicet secundum iudicium suae ipsorum conscientiae putent se hoc facere posse. Quod quidem evenire potest, verbi gratia, cum prorsus iniuste deserti fuerint, quamvis prius matrimonium salvum facere sincere conati sint, vel cum persuasi sint de nullitate prioris matrimonii, quae tamen probari non possit in foro externo, vel cum iam longum reflexionis et paenitentiae iter emensi sint, vel etiam cum ob rationes moraliter validas iidem separationis obligationi satisfacere non possint.

Iuxta quasdam opiniones, ad veram suam condicionem obiective examinandam, divortio digressis, qui novas inierunt nuptias, colloquium ineundum esset cum presbytero prudenti ac experto. Idem sacerdos tamen observet oportet eorum adventiciam decisionem conscientiae accedendi ad Eucharistiam, quin hoc significet admissionem ex parte auctoritatis.

His et similibus in casibus ageretur de toleranti ac benevola solutione pastorali, ut ratio inducatur diversarum condicionum divortio digressorum, qui novas nuptias inierunt.

4. Etsi notum sit similes solutiones pastorales a quibusdam Ecclesiae Patribus propositas easdemque etiam in praxim deductas fuisse, hae tamen numquam consensum Patrum obtinuerunt nulloque modo doctrinam communem Ecclesiae constituerunt nec eius disciplinam determina runt. Spectat ad ipsius Magisterium universale, fidelitate servata erga S. Scripturam et Traditionem, docere et authentice interpretari *depositum fidei*.

Quare haec Congregatio, pree oculis habens novas superius memoratas propositiones pastorales, suum officium esse dicit in memoriam revocare doctrinam et disciplinam Ecclesiae hac in re. Ipsa enim, propter fidelitatem erga Iesu Christi verbum(5), affirmit se non posse validum agnoscerre novum coniugium, si prius matrimonium validum fuit. Divortio digressi, si ad alias nuptias civiliter transierunt, in condicione versantur obiective legi Dei contraria. Idcirco, quoad haec durat condicio, ad Eucharisticam Communionem accedere iis non licet(6).

Quae norma minime habet indolem poenalem vel utcumque discriminantem erga eos de quibus agimus, sed potius obiectivam condicionem exprimit, quae suapte natura impedit accessionem ad Communionem Eucharisticam. "Ipsi namque impediunt ne admittantur, cum status eorum et condicio vitae obiective dissident ab illa amoris coniunctione inter Christum et Ecclesiam, quae Eucharistia significatur et peragitur. Restat praeterea alia peculiaris ratio pastoralis: si

homines illi ad Eucharistiam admitterentur, in errorem turbationemque inducerentur fideles de Ecclesiae doctrina super indissolubilitate matrimonii"(7).

Fidelibus, qui in tali condicione matrimoniali versantur, accessio ad Communionem Eucharisticam patet unice per absolutionem sacramentalem, quae dari potest "tantum illis qui, dolentes quod signum violaverint Foederis et fidelitatis Christi, sincere parati sunt vitae formam iam non amplius adversam indissolubilitati suscipere. Hoc poscit revera ut, quoties vir ac mulier gravibus de causis - verbi gratia, ob liberorum educationem - non valeant necessitatibus separationis satisfacere, 'officium in se suscipiant omnino continenter vivendi, scilicet se abstinenti ab actibus, qui solis coniugibus competitunt'"(8). Tunc ad Communionem Eucharisticam accedere possunt, salva tamen obligatione vitandi scandalum.

5. Ecclesiae doctrina et disciplina hac de re fuse expositae sunt, tempore post Concilium, in Adhortatione Apostolica *Familiaris consortio*. Adhortatio, praeter alia, in memoriam revocat pastores, ob amorem veritatis, officio adstringi recte distinguendi varias condiciones, atque eos hortatur ut animum addant iis qui post divortium novas nuptias inierunt ut varia vitae Ecclesiae momenta participant. Simul confirmat consuetudinem constantem et universalem "in Sacris ipsis Litteris innixam, non admittendi ad Eucharisticam Communionem fideles qui post divortium novas nuptias inierunt"(9), atque huius rei rationes adducit. Structura textus Adhortationis et ipsa verba clare demonstrant huiusmodi consuetudinem, quae exhibetur obligandi vi praedita, immutari non posse ob differentes condiciones.

6. Fidelis qui ex consuetudine convivit «more uxorio» cum persona quae neque legitima est uxor neque legitimus vir, non potest accedere ad Communionem Eucharisticam. Quod si ille hoc fieri posse existimet, tunc pastores et confessores, propter gravitatem materiae nec non ob exigentias boni spiritualis personae(10) et boni communis Ecclesiae, gravi obstringuntur officio eundem commonendi huiusmodi conscientiae iudicium aperte contradicere doctrinae Ecclesiae(11). Debent insuper memoriam facere huius doctrinae, cum omnes fideles sibi commissos instituant.

Hoc non significat Ecclesiae cordi non esse condicione horum fidelium, qui, ceterum, minime excluduntur a communione ecclesiasticali. Ipsa sollicitudine ducitur eos pastorali actione prosequendi eosque invitandi ad vitam ecclesialem participandam, quantum fieri potest, salvis praescriptis iuris divini, a quibus Ecclesia nullam habet dispensandi potestatem(12). Necesse alioquin est illuminare fideles, quorum interest, ne censeant suam vitae Ecclesiae participationem exclusive reduci ad quaestionem de Eucharistiae receptione. Fideles adiuventur oportet, ut magis magisque comprehendant valorem participandi sacrificium Christi in Missa, communionis spiritualis(13), orationis, meditationis verbi divini, operum caritatis et iustitiae(14).

7. Errata persuasio, vi cuius aliquis post divortium et novas initas nuptias putat se posse accedere ad Communionem Eucharisticam, plerumque supponit conscientiae personali tribui facultatem ultimatim decidendi - ratione habita propriae persuasionis(15) - de existentia vel minus prioris matrimonii deque alterius unionis valore. At talis attributio admitti nollo modo potest(16). Matrimonium enim, quatenus imago unionis sponsalis inter Christum et eius Ecclesiam atque nucleus primarius et elementum magni momenti in vita societatis civilis, est sua ipsis natura realitas publica.

8. Verum quidem est iudicium de propriis dispositionibus pro accessione ad Eucharistiam a conscientia moralis recte formata procedere debere. At verum pariter est consensum, quo matri monium constituitur, non esse decisionem mere privatam, quia tum unicuique coniugi tum utrius statum dignit specific ecclesiale et sociale. Quare iudicium conscientiae de proprio statu matrimoniali non respicit dumtaxat relationem immediatam inter hominem et Deum, quasi necessaria non sit ecclesiasticalis illa mediatio quae etiam leges canonicas conscientiam obligantes includit. Non agnoscere hunc essentialem aspectum idem est ac negare revera matrimonium existere veluti Ecclesiae realitatem, hoc est veluti sacramentum.

9. Ceterum Adhortatio *Familiaris consortio*, cum pastores invitat ad bene distinguendas varias condiciones eorum qui post divortium novam inierunt unionem, mentionem etiam facit condicione eorum qui certi sua in intima conscientia sunt superius matrimonium iam irreparabiliter disruptum numquam validum fuisse(17). Discernendum utique est, num per viam fori externi ab Ecclesia statutam huiusmodi matrimonii nullitas obiective existat. Disciplina Ecclesiae, dum in examine de validitate matrimoniorum catholicorum confirmat competentiam exclusivam tribunalium ecclesiasticorum vias etiam novas ad probandam nullitatem unionis praecedentis offert hac mente, ut omne discrimin - inquantum fieri potest - inter veritatem in processu accessibilem et veritatem obiectivam, a recta conscientia cognitam, excludatur(18).

Adhaerere utcumque Ecclesiae iudicio et observare vigentem disciplinam circa obligationem formae canonicae utpote necessariae pro validitate matrimoniorum catholicorum, est quod vere prodest spirituali bono fidelium quorum causa agitur. Ecclesia enim est Corpus Christi atque vivere in communione ecclesiasticali est vivere in Corpore Christi et pasci eius Corpore. In Eucharistiae sacramento recipiendo communio cum Christo capite nullo modo a communione cum eius membris, i.e. cum eius Ecclesia separari potest. Qua de causa sacramentum nostrae cum Christo unionis etiam

sacramentum unitatis Ecclesiae est. Sumere Communionem Eucharisticam, dispositionibus communionis ecclesiasticis non servatis, est ergo res in se repugnans. Communio sacramentalis cum Christo implicant et supponit observantiam, interdum quidem difficilem, ordinis communionis ecclesiasticis, nec fieri potest recte et fructuose per modum agendi quo fidelis desiderans immediate accedere ad Christum, hunc ordinem non servat.

10. Secundum ea quae hucusque exposita sunt, plene est amplectendum votum a Synodo Episcoporum expressum, proprium a Beatissimo Patre Ioanne Paulo II factum, et ad rem deductum studio laudabilibusque inceptis ab Episcopis, sacerdotibus, religiosis et fidelibus laicis: hoc est, sollicita cum caritate summopere adniti ut fideles, qui in condicione matrimoniali abnormi versantur, in Christi et Ecclesiae caritate roborentur. Hoc tantum modo eis licebit plene recipere matrimonii christiani nuntium atque sustinere in fide angores condicione sua. In actione pastorali omni ope admidendum est, ut recte intellegatur non agi hic de discrimine, sed solummodo de fidelitate absoluta erga Christi voluntatem, qui rursus nobis dedit et noviter concredidit matrimonii indissolubilitatem veluti Creatoris donum. Necesse erit ut pastores atque communitas fidelium patientur atque diligent una simul cum iis ad quos pertinet, ut conspicere valeant etiam in onere oboedientiae iugum suave atque onus leve Iesu(19). Eorum onus non est dulce et leve quatenus parvum vel inane, sed fit leve quia Dominus - atque cum eo omnis Ecclesia - id participat. Proprium est pastoralis navitatis integra ditione exercendae praebere eiusmodi auxilium, veritate simulque amore innixum.

Tecum coniunctus in munere collegiali ut lesu Christi veritas in Ecclesiae vita et consuetudine splendescat, me profiteri gaudeo Excellentiae Tuae Reverendissimae in Domino

Joseph Card. Ratzinger
Praefectus

+ Albertus Bovone
Archiepiscopus Tit. Caesariensis in Numidia
Secretarius

Hanc Epistulam in sessione ordinaria huius Congregationis deliberatam, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, in Audientia Cardinali Praefecto concessa, adprobavit et publici iuris fieri iussit.

Romae, ex Aedibus Congregationis pro Doctrina Fidei, die 14 Septembris 1994 in festo Exaltationis Sanctae Crucis.

(1) Cf. Iones Paulus II, Epistula familiis data (die 2 Februarii 1994), n. 3.

(2) Cf. Iannes Paulus II, Adhort. Ap. familiaris consortio, nn. 79-84: AAS 74 (1982) 180-186.

(3) Cf. ibid., n. 84: AAS 74 (1982) 185; Epistula familiis data, n. 5; Cathéchisme de l'Eglise Catholique, n. 1651.

(4) Cf. Paulus VI, Litt. Encycl. Humanae vitae, n. 29: AAS 60 (1968) 501; Ioannes Paulus II, Adhort. Ap. Reconciliatio et paenitentia, n. 34: AAS 77 (1985) 272; Litt. Encycl. Veritatis splendor, n. 95: AAS 85 (1993) 1208.

(5) Mc 10,11-12: "Quicumque dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, adulterium committit in eam; et si ipsa dimiserit virum suum et alii nupserit, moechatur".

(6) Cf. Catéchisme de l'Eglise Catholique, n. 1650; Concilium Tridentinum, sess. XXIV: Denz.-Schoenm. 1797- 1812.

(7) Adhort. Ap. Familiaris consortio, n. 84: AAS (1982) 185-186.

(8) Ibid., n. 84: AAS 74 (1982) 186; cf. Ioannes Paulus II, Homilia habita in conclusione VI Synodus Episcoporum, n. 7: AAS 72 (1980) 1082.

(9) Adhort. Ap. Familiaris consortio, n. 84: AAS 74 (1982) 185.

(10) Cf. 1 Cor 11,27-29.

(11) Cf. Codex Iuris Canonici, can. 978 § 2.

(12) Cf. Catéchisme de l'Eglise Catholique, n. 1640.

(13) Cf. Congregatio pro Doctrina Fidei, Epistula Episcopis Ecclesiae Catholicae super aliquas quaestiones respicientes Ministrum Eucharistiae, III/4: AAS 74 (1983) 1007; S. Theresia de Avila, Camino de perfección, n. 35, 1; S. Alphonsus M. de' Liguori, Visite al SS. Sacramento e a Maria Santissima.

(14) Cf. Adhort. Ap. Familiaris consortio, n. 84: AAS 74 (1982) 185.

(15) Cf. Litt. Encycl. Veritatis splendor, n. 55: AAS 85 (1993) 1178.

(16) Cf. Codex Iuris Canonici, can. 1085 § 2.

(17) Cf. Adhort. Ap. Familiaris consortio, n. 84: AAS 74 (1982) 185.

(18) Cf. Codex Iuris Canonici, cann. 1536 § 2 et 1679 et Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium, cann. 1217 § 2 et 1365 circa vim probantem, quam habent declarationes partium in talibus processibus.

(19) Cf. Mt 11,30.